

1405 gna , quod lacus , in quibus est Benacus omnium , qui in Italia sunt , amœnissimus , quod & aquarum salubrium plures habet scaturigines , quas balneorum usum præstis- se olim iccirco affirmare ausim , quia aquæ ipsæ calidæ sunt , & quod ad hunc diem vestigia murorum quædam circa aquas cernuntur , quæ id quod vulgus tenet , mani- feste arguunt : quid situs ipse ? Nihil certe eo formosius , nihil visu suavius : nulla prudentissimi pictoris manus tam blandum locum , tam amœnum effinxit unquam . Nam quum tota fere urbs æquo solo recumbat , sitque tam ad meridiem quam ad ortum & occasum brumalem conver- fa , ad septentrione tellus illi leniter assurgit , cujus ju- ga brevi mollique ambitu circumducta , theatralem pene formam exprimunt : vallis leniter reducta , quæ in medio est , vineta habet & pomaria amœnissima , quæ procul spe- ctantibus ita blande arrident , ut spectantium animos (quod multis evenisse constat) subita & inopinata læti- cia velut ruina quadam repente obruant . In summo clivo duæ nobilissimæ arces , quarum una Athesi extremam val- lem placido cursu riganti pene incubat ; altera eminentio- re loco & quasi vallis supercilio sedens , subjecta urbis mœnia despectat , ac longe lateque in circumpadanos cam- pos totamque fere Cisalpinam Galliam pandit prospectum . Plures ad hæc nobilissimi pontes fluvio impositi , amphi- theatrum media urbe assurgens , veteres arcus ac mille alia antiquitatum vestigia , quæ vetustam urbis opulen- tiam plane demonstrant . Sunt hæc quæ dixi omnino ma- gna , sed quod sequitur , longe majus . Habuit ab ini- tio ea civitas præstantium virorum quasi seminarium quod- dam : ut in omni fere doctrinarum genere tam claros semper illa viros tulerit , quam quævis alia clarissimos . Hæc omnia , quum nota essent Venetis , adhuc magis perspicuam fecere victoriam . Urbem igitur confestim ma- gno firmant præsidio , mittuntque eo Petrum Arimundum Præfectum , Prætorem vero Rubrium Marinum .
Sed dum hæc circa Veronam geruntur , Galeacius , Pa- tavino agro præda , incendio , & populationibus vastato , ple-